

P R O P O S I T I O.

Catechumeni non sunt actu corporis Ecclesiae membra.

Prob. 1°. Quia Baptismum nondum receperunt, per quem in Ecclesiam fit aditus: quod enim erat in Synagoga Circumcisio, id in Ecclesia Baptismus est: atqui sine Circumcisione nemo censetur Synagogæ membrum; ergo nec esse potest Ecclesiae membrum sine Baptismo. 2°. Quia Catechumeni jus non habent in Ecclesiae Sacramenta: atqui tamen quodlibet societatis alicujus membrum, in communia hujus bona sibi merito jus vindicat. 3°. Quia Patres Catechumenos inter fideles nunquam recensent; imò semper ab iis distinguunt.

C A P U T I I.

De Notis Ecclesiae.

PER notas Ecclesiae intelliguntur certa quaedam et indubitata signa, quibus vera Christi Ecclesia discerni possit ab Hæreticorum et Schismaticorum societatibus, quæ veræ Ecclesiae titulo gloriantur, prorsus immeritò: ut autem genuinæ sint illæ notæ, tres requiruntur conditiones. 1°. Veræ Ecclesiae ita sint propriæ necesse est, ut alteri societati non convenient; alioqui non possent veram discriminare Ecclesiam, cum nullares per signum multis commune discerni possit. 2°. Debent esse ipsâ Ecclesiâ notiores, cum ad ipsius notitiam perducant. 3°. Quædam saltem ex illis sint omnibus obviæ et accommodatæ, ut veram possint dignoscere Ecclesiam, cui nomen dare, et in qua permanere debent, si velint salutem

consequi. Dicemus 1°. de falsis; 2°. de sinceris veræ Ecclesiae notis, et cui societati convenient.

A R T I C U L U S P R I M U S.

De falsis Ecclesiae notis.

Duas duntaxat Ecclesiae notas proponere solent Protestantés, scilicet sinceram verbi divini prædicationem, seu veritatem doctrinæ privato examine discussæ, legitimumque Sacramentorum usum. Ita Confessio Augustana, (art. 6.) et Calvinus, (lib. 4. Inst. cap. 1.) Unde sic argumentatur: Veritas doctrinæ non competit nisi veræ Ecclesiae: atqui societas Protestantium veritatem doctrinæ habet, ut cuilibet privato examine constare potest; ergo societas Protestantium sola vera est Ecclesia. Stant ex adverso Catholici, juxta quos, nedum veritas doctrinæ privato examine cognitæ genuina sit Ecclesiae notæ, imò potius veræ Ecclesiae autoritas via est tutissima, quæ ad veræ doctrinæ cognitionem pervenitur: cum quibus sit-

P R O P O S I T I O.

Neque vera Doctrina, neque legitimus Sacramentorum usus sunt veræ Ecclesiae notæ.

Iisdem probatur argumentis utraque propositionis pars. Legitimus enim Sacramentorum usus ad veram pertinet doctrinam, quæ et decernitur quænam sint à Christo instituta Sacramenta, et traduntur regulæ quarum ope rectè accipiantur.

Prob. Quia veritas doctrinæ neque est nota Ecclesiae propria, neque omnibus accomodata, quamvis eam solam admittant Protestantés, neque notior Ecclesiâ. 1°. Quidem non est nota Ecclesiae propria. Character enim veræ Ecclesiae proprius ipsi soli competere debet: atqui veritas

doctrinæ non ita competit Ecclesiæ, ut alii societati convenire non possit: namque societates Schismaticæ vera non sunt Ecclesia, ut demonstrabimus: atqui tamen possunt doctrinæ veritatem retinere, ita ut non fides, sed unitas et caritas ab iis violentur; ergo 1^o. etc.

2^o. Veritas doctrinæ proprio examine cognita non est Ecclesiæ nota omnibus accommodata: ut enim rudes et imperiti doctrinæ veritatem proprio consequantur examine, exploratum habeant necesse est, quis sit Scripturæ, in qua ea continentur doctrina, sensus, quæ interpretatio legitima: atqui difficile et arduum est, ne dicam impossibile; maximæ hominum parti, quæ ex rudibus constat et illitteratis, germanum Scripturæ sensum scrutari et detegere: nam *Scripturam sacram*, ut ait Vincentius Lirinensis, pro ipsa sui altitudine, non uno eodemque sensu universi accipiunt (hæretici) sed ejusdem eloquia aliter alius atque alius interpretatur. (Commonit. Cap. 2.) Hujus circa Scripturæ interpretationem discordiæ insigne exemplum videre est inter ipsos Protestantium duces. Lutherus in istis Christi verbis: *hoc est corpus meum*, deprehendit *realem* Christi in Eucharistia præsentiam; Calvinus autem figuratam duntaxat.

Supponamus igitur hominem, sincero detegendæ Ecclesiæ desiderio flagrantem, hæc usurpare verba cujusdam Catechumeni, de quo loquitur Augustinus: *Quo ergo signo manifesto adhuc parvulus, et nondum valens liquidam discernere a tor erroribus veritatem, quo manifesto indicio tenebo Ecclesiam Christi?* (Lib. 13. contra Faustum, Cap. 13.) Videt innumeras societates Hussitarum, Lutheranorum, Zuinglianorum, Anabaptistarum, Puritanorum, Calvinistarum, Socinianorum, etc. tam sententiâ, quam nomine, discrepantes, et quæ tamen singulæ veram apud se habere Ecclesiam gloriantur, idque pro Ecclesiæ nota afferentes, quod purissimam Christi doctrinam teneant.

Unamquamque sectam videt, suæ fidei articulos ex Scripturis, juxta vim, tum Hebraici, tum Græci, textus intellectis, probare, et adversariorum argumenta confutare nitentem: quò, quæso, sese vertet homo ille, sanæ quidem mentis, sed horumce omnium ignarus? Nonne tam anxius et anceps hærebit, quàm antea? Ergo 2^o. veritas doctrinæ, privato examine expensæ, non est Ecclesiæ nota, omnium captui accommodata.

3^o. Non est ipsa Ecclesiâ notior: quidquid enim Ecclesiæ cognitionem supponit, illud sanè non est Ecclesiâ notius: atqui veræ doctrinæ acquisitio cognitam supponit Ecclesiam, cum ab ipsa veritas accipienda sit, ut demonstrabimus, ubi de controversiarum judice agemus, et sic testatur Irenæus: *Non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere.* (Lib. 3. adversus Hæreses. Cap. 4.) Ergo 3^o. etc. ac proinde veritas doctrinæ caret conditionibus ad genuinam Ecclesiæ notam requisitis.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Nulla res potest innotescere, nisi prius ea cognoscantur quæ ad ipsius essentiam pertinent: atqui vera Christi doctrina pertinet ad Ecclesiæ essentiam; ergo prius cognoscatur necesse est, quàm Ecclesia.

Resp. Dist. maj. Nulla res potest perfectè innotescere, nisi prius, etc. conc. maj. non potest innotescere ubinam existat, nec ab aliis secerni, neg. maj.

Itaque res cognosci potest, vel perfectè, ita ut exploratam habeamus intimam ejus naturam; vel modo minùs quidem perfectò, sed qui tamen sufficiat, ut certè possimus deprehendere ubinam sit, eamque ab aliis distinguere. Plurima enim sunt quæ non nisi posteriori hoc modo novimus. Sic facile est omnibus frigus à calore, lucem à tenebris, motum à quiete, locum à tempore secernere.

nere : atqui tamen horum omnium naturam rimari et penetrare nequeunt , etiam ii qui maximè sunt pespicaces.

Ita licèt non comperta sint ea omnia quæ ad Ecclesiæ essentiam pertinent , tamen cognosci potest ubinam sit Ecclesia , eamque ab omnibus satis discernere facile est ; per notas scilicèt et conspicuos quosdam characteres , de quibus mox dicturi sumus.

Obj. 2^o. nonnulla Augustini testimonia : In *Scripturis discimus Ecclesiam*. — *Utrum ipsi (Donatistæ) Ecclesiam teneant , nonnisi de divinarum Scripturarum canonicis libris ostendant*. — *Sunt certè libri Domini ubi quæramus Ecclesiam*. (*Epist. 105. contra Donatistas — lib. de Unit. Eccles. cap. 19. n. 50. — ibid. cap. 5. n. 6.*)

Undè sic : Juxta sanctum Augustinum , Ecclesia per Scripturas , id est , per veritatem doctrinæ in iis consignatæ , *discitur , quæritur , ostenditur* ; ergo veritas doctrinæ , quæ in Scripturis continetur , sola est veræ Ecclesiæ nota.

Resp. Dist. ant. Ecclesia , etc. ostenditur , quando cum iis disputatur , qui Scripturas divinas agnoscunt ; conc. ante. in omnibus circumstantiis , neg. ant.

Itaque si res habeatur cum Hæreticis qui Scripturas admittunt , et quæstio moveatur de assignanda vera Christi Ecclesia , fatemur Scripturis sacris dirimi posse hanc controversiam ; non quòd Scriptura sit Ecclesiæ nota , sed quia continet notas , quibus vera dignoscitur Ecclesia : idcirco , cum Scripturæ autoritatem admitterent Donatistæ , satius esse duxit Augustinus , ut omnes tollerentur ambages , ad Scripturam confugere , quæ immensam veræ Ecclesiæ diffusionem invictè adstruit. Sic igitur eos premit : Ex Scripturis , quas divinas agnoscitis , verà Christi Ecclesia debet esse Catholica , sive universalis : atqui Ecclesia vestra , nonnisi in paucis et in terrarum angulo existit ;

ergo non verà est Christi Ecclesia. Nunquam verò docuit Augustinus in omnibus circumstantiis , non posse Ecclesiam , nisi per Scripturas , innotescere. Quinimò sanctam Doctorem persuasum habuisse , Ecclesiam aliundè quàm ex Scripturis cognosci posse , cum ex multis testimoniis , tum etiam ex loco objecto apertum est : sic enim Donatistas alloquitur : *Si Christum ipsum tenetis , ipsam Ecclesiam quare non tenetis ? Si in ipsum Christum quem legitis et non videtis , tamen propter Scripturarum veritatem , creditis , quare Ecclesiam negatis . quom et legitis et videtis ?* (*Ep. 105. n. 17.*) Declarat igitur Augustinus hoc verbo *videtis* , Ecclesiam , etiam sine Scripturis in quibus legitur , *videri* , id est , conspicuis quibusdam notis manifestari.

Inst. Ecclesiæ characteres in Scripturis sacris deprehendi debent : atqui plerisque hominibus non minùs impossibile est , genuinos Ecclesiæ characteres in Scripturis detegere , quam alium quemlibet fidei christianæ articulum. Priusquam enim ex eis deducantur Ecclesiæ characteres , sive notæ , constare debet libros illos esse divinos , authenticos , et accuratè translatos , etc. Uno verbo , omnes recurrunt difficultates , propter quas impossibile esse diximus , ut plerique homines per privatum Scripturæ examen , ad Ecclesiæ cognitionem perveniant. Hanc objectionem mille modis torquent et retorquent Protastantes

Resp. Dist. maj. Ecclesiæ characteres debent in Scripturis deprehendi , quando cum iis res agitur , qui Scripturarum autoritatem agnoscunt , idque tantum , ut promptius et facilius vincantur , conc. maj. nulla est demonstrandæ veræ Ecclesiæ via , nisi illius characteres in Scripturis deprehendantur , neg. maj.

Finge enim hominem qui Christianus fieri velit , et qui inter varias Christiani nominis sectas pendulus et anceps hæreat ; finge hominem illum litteras sacras nequidem attigisse ; contendo veram

ipsi Ecclesiam demonstrari posse. Solo enim luminis naturalis subsidio intelliget, v. g. inter varias Christianorum societates, eam veram esse Ecclesiam, quæ omnium est antiquissima; quæ eandem habet originem ac ipsa Religio Christiana; quæ nullius institutoris, præter ipsius Christi, nomen præ se fert; quæ est velut radix et truncus, è quibus, quasi totidem rami, cæteræ prodierunt; quæ tandem à nulla vetustiori societate, aut rejecta est, aut spontè recessit; talem, inquam, esse debere veram Ecclesiam, ipsa ratio suadet, sine Scripturarum autoritate; hæc autem principia, ut Ecclesiæ Catholico-Romanæ accomodentur, et applicentur, sola sufficit humana historia, et ipsa variarum societatum confessio. Ipsi Protestantes, v. g. suæ sectæ initium ultra decimum sextum seculum non proferunt: existit, autem societas quindecim seculis antiquior, quæ Catholico-Romana dicitur, cui nullam originis novitatem ipsimet adversarii exprobrant; ergo homo iste rudis et Scripturarum ignarus veram poterit Ecclesiam cognoscere: ac proindè, ut vera demonstraretur Ecclesia, non absolutè necesse est illius characteres in Scripturis deprehendi.

Obj. 3^o. *Ecclesia*, inquit S. Hieronymus, non parietibus consistit, sed in dogmatum veritate. *Ecclesia ibi est, ubi fides vera est*; (In Psal. 133. tom. 2. pag. 472.) ergo dogmatum veritas assignari debet, tanquam genuina Ecclesiæ nota.

Resp. Neg. conseq. Ad summum probaret objectus Hieronymi locus, ibi consistere Ecclesiam ubi vera est doctrina: atqui etiamsi res ita foret non indè sequeretur germanam Christi doctrinam esse Ecclesiæ notam. Ubi enim est Ecclesia, ibi etiam residet caritas, ibi adsunt alia Spiritûs Sancti dona: quis tamen indè concludat caritatem, cæteraque Spiritûs Sancti dona totidem esse Ecclesiæ notas? Ad veram Ecclesiæ notam non satis est, ut ipsi aliquid conveniat; sed præterea sic debet splendescere,

splendescere, sic omnium captui attemperari, ut illius ope à sectis hæreticis facile secernatur Ecclesia: atqui hujusmodi non esse Christi doctrinam jam probavimus.

ARTICULUS II.

De genuinis veræ Ecclesiæ notis et societate cui conveniunt.

Catholicorum hæc de re sententiam exponet sequens propositio.

P R O P O S I T I O.

Genuini Ecclesiæ characteres sunt Unitas, Sanctitas, Catholicitas, et Apostolicitas.

Prob. ex Symbolo Constantinopolitano, ubi Christiani profitentur se credere, *Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam*. Præterea eæ sunt notæ genuinæ, quæ cum vera Ecclesia necessario conjunctæ sunt, et veritate doctrinæ, quam pro germana Ecclesiæ nota obtrudunt Protestantes, sunt notiores: atqui, 1^o. quatuor characteres assignati cum vera Christi Ecclesia necessario sunt connexi. In confesso enim est apud omnes, Christum voluisse gentes in fidei et veritatis unitatem coalescere, en *Unitas*; eo consilio Ecclesiam instituisse, ut cultores haberet pietatis et sanctitatis studiosos, en *Sanctitas*; voluisse ut gentes omnes in unam Religionis societatem coirent, en *Catholicitas*; tandem per Apostolorum ministerium hanc sponsam sibi formasse, en *Apostolicitas*; ergo 1^o. quatuor illæ dotes, sive notæ, necessariam habent cum Ecclesia conjunctionem.

2^o. Notiores sunt veritate doctrinæ, quam pro sincera Ecclesiæ nota afferunt Protestantes: facilius est enim cognoscere quænam societas nun-

quam se ab antiquiore Christiana societate segregaverit; quænam manifesta habeat sanctitatis signa; quænam semper fuerit, et etiamnum sit ubique diffusa, et totum fere impleat orbem; quænam perpetuam Pastorum successione ab Apostolis ad nos usque devenerit, eorumque hereditatem collegerit: hæc, inquam, cognoscere facilius est, quam singulorum dogmatum veritatem indagare, ut satis patet; ergo 2^o. quatuor prædictæ notæ sunt veritate doctrinæ notiores; aliud cum vera Ecclesia necessario conjunctæ sunt; ergo etc. Nunc autem de singulis illis characteribus sigillatim disputandum est.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De unitate Ecclesiæ.

Quantum in admittendo unitatis nomine concordantes sunt Catholici et Protestantes, tantum in ea definienda sunt discordantes. Docent Catholici in eo positam esse unitatem hanc, quod inter omnes societates, quæ Christiano nomine gloriantur, una duntaxat earum vera sit Ecclesiæ, in cujus solius sinu sunt membra Christi, salusque speranda est. Protestantes verò, et inter eos præcipue Jurieu, libro cui titulus: *Le vrai Système de l'Eglise*, aiunt quidem extra Ecclesiam nullam esse sperandam salutem, utque in ea contineatur aliquis, necessarium esse eandem fidem profiteri, iisdem uti Sacramentis, legitimisque subjici Pastoribus: quæ loquendi ratione nihil videntur à Catholicis discrepare; sed per Ecclesiam intelligunt societatem, quæ ex omnibus sectis constet, in quibus articuli *fundamentales* retinentur. Fidei professio, in eorum mente, nihil aliud est, quam veritatibus quas vocant *fundamentales* adhesio, non autem aliis, quas tamen fidelibus proponit Ecclesiæ. Ad Sacramentorum participationem, juxta

eos, satis est ut in aliqua ex his sectis recipiantur, licet nullam habeat cum aliis communicationem. Per debitam Pastoribus subjectionem eam intelligunt, quæ Pastoribus alicujus ex variis societatibus adhæretur: non verò Pastoribus Apostolicis Romanæ communionis. Unde, quantum vocibus consentiunt Protestantes cum Catholicis, tantum re differunt.

Licet in designandis figendisque singulis articulis, quos vocant *fundamentales*, non consentiant Protestantes, ista tamen apud eos invaluit definitio: scilicet veritas *fundamentalis*, inquit, ea est quam nullus, absque salutis dispendio, inficiari potest, ut Trinitas Personarum in Deo, Verbi divini incarnatio. Veritas autem *non fundamentalis*, est alia quæcumque, sive ab Ecclesia definita sit, sive non, quæ juxta illos, sine salutis periculo, ignorari, vel etiam negari potest. Juxta Catholicos verò, quamvis omnium fidei articulorum notitia, fidesque distincta non ejusdem sit necessitatis, eo tamen sensu dici possunt *fundamentales*, quod illos negare aut impugnare, nemini, qui salvus esse velit, liceat post definitionem Ecclesiæ clarè propositam. His præmissis, sit.

PROPOSITIO I.

Vera Christi Ecclesiæ ita est una, ut excludat alias quascumque societates, quarum fides diversa est.

Prob. 1^o. ex Scriptura. 1^o. Ecclesiæ se habet respectu partium, ex quibus componitur, sicut ovile respectu ovium ex quibus constat. *Alias oves habeo*, inquit Christus, *quæ non sunt ex hoc ovili* (Joan. 10. 16.) Atqui ovile, ratione ovium ex quibus coalescit, unum est: *Illas*, ait ibidem Christus, *oportet me adducere, et fiet unum ovile*; ergo pariter Ecclesiæ una est respectu partium, ex quibus componitur; 2^o. Ecclesiæ mysticum est

Christi corpus. Vos autem, ait Apostolus, estis corpus Christi, et membra de membro: (1. Cor. 12. 27.) atqui mysticum Christi corpus unicum est: etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptisati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi; (Ibid. v. 13.) ergo, etc.

Prob. 2^o. ex Traditione: hæc unanimis est Patrum sententia, ita unicam esse Christi Ecclesiam, ut alias societates quarum fides diversa est, excludat, et omnes Hæreticorum et Schismaticorum sectas à se removeat. Juxta Iræneum, apud Hæreticos qui fures sunt et latrones, quærenda non est veritas, quæ in Ecclesia facile invenitur, (lib. 3. adversus Hæres. cap. 4. Edit. Massueti. pag. 178.) atqui ibi vera Ecclesia quibuscumque societatibus Hæreticis opponitur: idem Doctor unitatem Ecclesiarum particularium, Germaniæ, Iberorum, Celtarum, Orientis, Ægypti, Lybiæ, etc. ex eo repetit, quod etsi loquelæ dissimiles sint, non tamen aliter credant. (Lib. 1. cap. 10.) atqui ex his verbis sequitur sanctum Doctorem illi Ecclesiæ particulari unitatem denegare quæ aliter crederet. Juxta Tertullianum, sunt Hæreses non minus doctrinarum perversitate, Ecclesiam lacessentes, quam tunc Antichristus persecutionum atrocitate persequetur. (Lib. de præscrip. cap. 4. edit. Rigalt.) Se habent igitur Hæreticorum sectæ, respectu Ecclesiæ, ut Antichristus: atqui profectò ad veram Christi Ecclesiam non pertinebit Antichristus. Sanctus Hieronymus sic monet: Ubi audieris eos qui dicuntur Christi, non à Domino Jesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, sive Campitas, scito non esse Ecclesiam Christi, sed Synagogam Antichristi. (Illog. adversus Lucif. circa finem.) Non igitur igitur Ecclesia societates Hæreticas suo in sinu complectitur, quam Synagogam Antichristi: atqui procul dubio Ecclesia suo in sinu non complectitur Syna-

gogam Antichristi; ergo nec societates quascunque hæreticas. Alios omitto Patres, qui omnes Hæreticorum sectas, ut ab Ecclesia extorres, exhibent.

Ne quis autem hanc esse privatorum quorundam, non traditionis, doctrinam suspicetur, nonnullas Synodos generales, totius Traditionis fidelissimos interpretes, paucis appellabimus. Concilium Constantinopolitanum primum, universale secundum, anno 381. can. 6 sic declarat: Hæreticos dicimus, et qui olim ab Ecclesia ejecti sunt, et qui sunt postea à nobis anathematisati. Concilium generale quintum. Act. 5. *Iti qui se hæreticis adjungunt, à sancta Dei Ecclesia anathematisantur et damnantur.* Jam antea Concilium Nicænum can. 8. jusserat impositione manuum recipi Novatianos, ad Ecclesiam Catholicam redire cupientes; quod supponit illos ab Ecclesia Catholica fuisse separatos: ridiculè enim omninò præciperetur, aliquem in societatem, cujus est membrum, admitti. Porro Ecclesia priorum seculorum vera erat Ecclesia, fatentibus adversariis: atqui tamen omnes Hæreticorum sectas sine ullo discrimine percussit anathemate, suoque è gremio rejecit, ut constat ex laudatis Conciliis; ergo vera Ecclesia ex diversis non coalescit societatibus diversa sentientibus.

Prob. 3^o. Totum Jurieu systema nititur articulorum *fundamentalium et non fundamentalium* distinctione. Ideò quippè non omnes Christianorum sectas, sed nonnullas duntaxat habet ut veræ Ecclesiæ partes, quia aliæ *fundamentalia* fidei dogmata convellunt, aliæ verò retinent: atqui fictitia prorsusque vana est hæc distinctio: in Religione enim novum et falsum sunt unum et idem: atqui novella est hæc distinctio articulorum *fundamentalium et non fundamentalium*, totique antiquitati incognita; siquidem nullum inter Veteres reperire potuit Jurieu, qui sibi patrocinaretur; superest igitur ut dicat sibi omnium primo datum

esse, hanc veritatem cognoscere, quam tota retrò antiquitas ignoraverat, seque à Deo seculo decimo septimo suscitatum, ut ceteris arcanum illud tandem manifestaret.

Præterea illud falsum est, cui adversatur constans perpetuaque Veterum consuetudo et agendi ratio: atqui talis est distinctio quam excogitavit *Jurieu*: ubi enim actum est de Hæreticis in Ecclesia recipiendis, semper ab iis postulatum est, ut omnes errores suos damnarent, omniaque Ecclesiæ dogmata, sine ullo *fundamentalium et non fundamentalium* discrimine, crederent et profiterentur. Qui hanc consuetudinem negaret, in Ecclesiæ historiâ peregrinum se omnino proderet. Denique non possunt Veteres *Jurieu* manifestis adversari, quam si ab Ecclesia eas etiam sectas excluserint, quæ in iis articulis tantum errabant, qui à Pseudo-Reformatis dicuntur *non fundamentales*; atqui hujusmodi etiam sectas ab Ecclesia removerunt: à Concilio enim Nicæno primo rejecti sunt *Quartodecimani*: atqui tamen non errabant in articulo *fundamentali*, sed in eo tantum quod Pascha die lunæ 14. celebrarent. Illud porro, factibus adversariis, non erat articulus *fundamentalis*; vel si fuerit, nihil est quod tale non debeat, et tunc evanescit *Jurieu* distinctio; ergo ex omni parte ruit novellum ipsius systema.

Prob. 4^o. ex absurdis consecrariis quæ è systemate *D. Jurieu* defluunt: ea semper fuit omnium Christianorum fides et persuasio, Ecclesiam nimirum societatem esse, fidei dogmata definientem erroresque dampnantem; id satis demonstrant tum Concilia quæ congregavit, tum Canones quos condidit, tum judicia quæ pronunciavit: atqui id falsum erit, si juxta mentem *D. Jurieu*, Ecclesia ex variis Hæreticorum sectis conflata sit: nunquam enim contigit ut in aliquo dogmate definiendo sectæ conspiraverint.

Præterea ad ætatem usque *D. Jurieu*, iste Sym-

boli articulus, *Credo in Ecclesiam Catholicam*, tum à Patribus, tum à Conciliis, intellectus fuit de societate eo sensu unica, quod omnes rejiciat Hæreticos, aliter quam ipsa sentientes. Instar omnium sint Patres Concilii Constantinop. primi generalis, qui jubent Hæreticos eâ lege recipiendos, quod *omnem anathematisent Hæresim, quæ non sentit ut sancta Dei Ecclesia et Apostolica.* (*Can. 7. Concil. Labbe. tom. 2. pag. 952.*) Atqui prædicta Symboli verba pravum in sensum detorqueantur necesse est à Patribus et Synodis, si Ecclesia omnium est sectarum congeries, quæ articulos *fundamentales* retinet; ergo id sibi proprium vindicet *D. Jurieu*, quod genuinam Ecclesiam per Symbolum designatæ notionem tandem exhibuerit.

Denique absurdum est dicere, atrocissimæ injustitiæ et crudelitatis reos fuisse, Ecclesiæ tum orientalis, tum occidentalis Pastores, præsertim quatuor prioribus seculis: atqui turpissimam hanc notam effugere non possunt in systemate *D. Jurieu*; quoties enim anathemate confixerunt homines in articulis minimè *fundamentalibus* errantes, qui tamen in mente *D. Jurieu* vera Ecclesiæ membra fuerunt?

Solvuntur objecta.

Objic. 1^o. *Fundamentum*, inquit Apostolus, aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus: si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam. . . . uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. (*I. Cor. 3. v. II. et seq.*)

Undè sic argumentatur *Jurieu*: Lignum, stipulam, fœnum, fundamento superstruentes, ii sunt

qui errores minimè *fundamentales* superaddunt articulis fidei maximè *fundamentalibus*: atqui tamen veræ Ecclesiæ membra sunt, cum ex Apostolo salvi erunt, *sed tamen quasi per ignem*; Ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Lignum enim, stipula, et fœnum in Apostoli textu nequaquam errores minimè *fundamentales* significant, quales excogitavit *Jurieu*: nam; juxta eum, error minimè *fundamentalis* dicitur ille, qui adversatur fidei articulo, vero quidem, sed non tantæ utilitatis, ut etiam post Ecclesiæ definitionem satis cognitam, non possit absque salutis dispendio in dubium revocari, imò et impugnari: atqui certum est per lignum, stipulam et fœnum, hujusmodi errores ab Apostolo non intelligi: namque per fœnum et stipulam, eam designat doctrinam, quæ fundamentum, quod est Christus, non destruit: atqui errores quos *Jurieu* vocat *non fundamentales*, verè tamen fundamentum subruunt. Christus scilicet ab Apostolo ponitur ut fundamentum: atqui, ut optimè notat Nicole de unitate Ecclesiæ, lib. 2. cap. 4. Christi nomine intelligitur totus Christus, hoc est, caput et corpus, sive Ecclesia. Si enim Ecclesia sit columna et firmamentum veritatis; si Christus sibi imputet quidquid, vel pro Ecclesia, vel contra Ecclesiam fit; si fidem sibi velit adhiberi, vel per semetipsum loquenti, vel per Ecclesiam; nonne Christo adversatur, qui Ecclesiæ resistit? Nonne proinde fundamentum subvertit? Nèdum igitur *Jurieu* causam juvet Apostoli textus, eam contrà destruit.

At, inquires, quid igitur per stipulam et fœnum intelligendum erit? Respondeo, per aurum, argentum, lapidesque pretiosos fundamento superposita, designari doctrinam sinceram, solidam, utilem; per ligna autem, fœnum et stipulam fundamento superaddita, adumbrari doctrinam nimis curiosam, vanam et futilem, aut subtiliorem quàm utilem.

Obj. 2°. *Emulatores Legis Mosaicæ*, post definitionem Ecclesiæ in Concilio Hierosolymitano fuerunt *Hæretici*, in articulo *non fundamentalis* errantes: atqui tamen veræ Ecclesiæ membra erant, ut constat ex Act. Apostol. (cap. 21.); ergo tanquam Ecclesiæ partes habendæ sunt *Hæreticorum sectæ*, quæ in articulis minimè *fundamentalibus* errant.

Resp. Dist. maj. *Emulatores Legis Mosaicæ*, qui post Concilii Hierosolymitani definitionem, legalia tanquam salutis necessaria observabant, *Hæretici* fuerunt, conc. maj. qui legalia ut bona et licita tantum retinebant, neg. maj.

Emulatores Legis Mosaicæ dicimus eos, qui à Judaismo ad Christianismum conversi, *Legis Mosaicæ* cæremoniis adhuc erant addicti: duas autem in classes distribui possunt. Prima eos continet, qui veteris Legis ritus, ut bonos et licitos, non verò ut salutis necessarios frequentabant. Secunda classis eorum est, qui easdem cæremonias, ne quidem à gentibus ad fidem adductis, sine salutis periculo, negligi posse prædicabant. Fateamur quidem posteriores illos Legis veteris sectatores fuisse *Hæreticos* post Concilii Hierosolymitani definitionem, à quo declaratum fuerat *Legem* Moysis vim obligandi amisisse; (Act. 15.) de prioribus autem legis *emulatoribus* aliter sentiendum est: hanc enim à Judæis observari etiam post Concilii Hierosolymitani decretum, tolerarunt Apostoli, ut patet. (Act. 21. Rom. 14. 1. Corinth. 8.)

Jam verò qui Legis Mosaicæ cæremonias, ut bonas et licitas, ex Legis reverentiâ retinebant, erant quidem Ecclesiæ membra, non autem alii: qui legalia salutis necessaria, etiam gentibus ad fidem conversis, esse pertinaciter contendebant, eos enim Paulus à salute excludit, qui eâ mente circumcisi fuerint: *Ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcimini, Christus vobis nihil proderit*:

evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, à gratia excidistis. (Galat. 5. v. 2 et 4.)

Obj. 3°. Ecclesia, juxta Prophetias, debet esse ubique dispersa: atqui non erit ubique dispersa, nisi varias sectas suâ in communione complectatur; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Etiamsi enim Ecclesia disjunctas includeret sectas, non latius pateret: nam ubicumque sunt sectæ, ibi et Catholici quidam reperiuntur; si igitur varias societates Ecclesia complecteretur, fieret quidem numerosior; sed non universalior: sine illa sectarum accessione, suum Prophetiæ assecutæ sunt effectum. 1°. Quia Ecclesia in maximam terrarum partem diffunditur. 2°. Quia ad ipsam pertinent omnes parvuli baptisati, quâcumque in societate Baptismum acceperint: ad illam enim societatem, tanquam matrem pertinent, cujus est Baptisma quo donati sunt: atqui Baptismus, sicut et alia Sacramenta, non Hæreticorum est, sed veræ Ecclesiæ; cui proinde inferuntur, qui Baptismum accipiunt parvuli. 3°. Quia diversis temporibus Evangelium in variis mundi partibus prædicatur, et suscipitur: prædictum enim fuit Evangelium ubique nunciandum esse; non verò ubique retinendam esse fidem, et unitatem Ecclesiæ. De universalitate Ecclesiæ fusiùs disseretur, ubi de ejus *Catholicitate*.

Obj. 4°. Hæretici etiam qui ab Ecclesia recesserunt, cum ea plurimis copulantur nexibus: in multis enim fidei partibus eadem quæ Catholicis, profitentur, eadem administrant Sacramenta, etc. Ergo neque ab Ecclesia, neque à salute sunt penitus seclusi.

Resp. Neg. conseq. Si quid enim valeat hæc argumentatio, confitendum erit omnes Hæreticorum societates, etiam pessimas, etiam fidei fundamenta subvertentes, etiam turpissimis addictas erroribus, ad Ecclesiam Christi nihilominus pertinere, neque extra salutis viam errare: in mul-

tis quippe cum Ecclesia Christi consentiunt; v. g. Ariani nihil à Catholicis quoad quædam Sacramenta dissentiebant. Multa etiam sunt in quibus Sociniani cum Ecclesia Christiana conspirant: tandem vix ulla esse potest societas adeò depravata, ut in ea nulla supersint veritatis lineamenta.

Quamobrem omnibus omninò Hæreticis, sive Arianis, sive Socinianis, sive aliis quantumlibet in Deum, vel in Christum contumeliosis, locus in Ecclesia concedendus erit; quod tamen negat ipse *Jurieu*. Quamvis igitur Hæretici, rupto unitatis vinculo, plurima secum asportaverint, quæ in Ecclesia reperiuntur, ut Sacramenta, et nonnullas fidei Christianæ partes, etc. non idcirco in Ecclesia salutis que via esse existimandi sunt. Ecclesiam enim deserendo, vel omnia perdidere; vel, si quædam retinuerint, iis suam in perniciem abutuntur. Hinc colligit Augustinus, frustra sibi blandiri Donatistas, quòd fidem habeant, et Baptismum, quia hæc quidquam prodesse sine caritate nequeunt, quæ extra Ecclesiam nec haberi potest, nec retineri. *Caritas Christiana*, inquit, nisi in unitate Ecclesiæ, non potest custodiri: atqui ita videatis sine illa nihil vos esse, etsi Baptismum et fidem teneatis. (Lib. 2. contra Petilianum. cap. 77. n. 172. pag. 265. tom. 9.)

Obj. 5°. Hæreticorum sectæ plurimos Christo filios per Baptismum generant; ergo veræ sunt Christi sponsæ, et veram ad Ecclesiam pertinent.

Resp. Dist. ant. Generant tanquam ancillæ servientes Ecclesiæ, conc. ant. generant sibi et proprio jure, neg. ant.

Ipsa Ecclesia, inquit Augustinus, generat et per uterum suum, et per uteros ancillarum. Quo nomine intelligit societates ab Ecclesia sejunctas. (Lib. 1. de Bap. cap. 10. n. 14. p. 87. tom. 9.) Ratio est quod Baptismus quo utuntur illæ societates ad Ecclesiam pertineat, non ad ipsas. Non Baptismum vestrum accepimus, ait

ibid S. Doctor Donatistis, quia non est Baptismus ille Schismaticorum vel Hæreticorum, sed Dei et Ecclesie, ubicumque fuerit inventus, et quocumque translatus. (Ibid. cap. 14. n. 22. p. 91.)

Porrò huic tantùm convenit sponsæ titulus quæ libera est, sibi que, non alii, parturit: ita servæ Jacob filios generabant, sed tamen sponsæ non erant, quia non sibi, sed Liæ et Racheli filios procreabant. Quod exemplum adversùs Donatistas adhibet Augustinus. Porrò filii qui in Hæreticorum sectis Christo generantur per Baptismum, ad ipsas non pertinent, sed veram ad Christi sponsam, sive Ecclesiam, cujus est Baptismus quo parvuli renascuntur.

Denique ex argumento proposito sequeretur, ad veram Ecclesiam pertinere Arianos et Socinianos, quamvis in articulis fundamentalibus erent: Christo enim filios per Baptismum gignunt, quemadmodùm et alii Hæretici: atqui tamen ab Ecclesia excludit ipse *Jurieu* sectas, quæ præcipua fidei capita convellunt.

Obj. 6^o. Doctrina quæ à salute excludit Hæreticos, vel in minimo fidei articulo errantes, crudelis est ac inhumana; ergo rejicienda est.

Resp. Neg. ant. Doctrinam enim quæ Scripturæ et Traditionis autoritate munita est, non licet in dubium revocare, quia intelligentiæ nostræ, adeò infirmæ, totque tenebris involutæ durior videtur. Nonne ipse *Jurieu* suis cum sequacibus docet, parvulos sine Baptismate morientes, æternùm esse damnandos? atqui non minùs durum videtur illud dogma, quam Catholicorum de Hæreticis et Schismaticis doctrina. Præterea Novatores nimis severitatis accusent Paulum qui *dissensiones et sectas* inter ea crimina recenset, quæ è regno cœlesti excludunt. (Galat. 5. 20.) Inhumanum dicant eundem Apostolum, quod à salute alienos pronuntiet, qui peccata quædam Schismate et Hæresi leviora committunt: *Neque fures*, inquit. . . .

neque maledici regnum Dei possidebunt. (1. Cor. 6. 10.) Hæreticus verò qui Christi hereditatem invadit, qui Sacerdotium soli Ecclesie creditum usurpat, qui Ecclesiam conviciis proscindit, sponsamque Christi velut adulteram corruptamque tradit; Hæreticus, inquam, nonne gravius peccat, quàm ille qui privato bona temporalia furatur, aut hujus famam lædit?

Huc etiam recurrunt difficultates quas diluimus, cum Hæreticos publicos non esse Ecclesie membra demonstratum fuit.

PROPOSITIO II.

Vera Ecclesia ita est una, ut extra ipsam nulla speranda sit salus.

Prob. Illud tanquam certum est tenendum, quod constat ex Ecclesie nominibus, ex figuris quibus adumbratur, ex sanctorum Patrum testimoniis: atqui extra Ecclesiam nullam esse sperandam salutem constat. 1^o. Ex Ecclesie nominibus: in Scripturis enim dicitur, *Corpus Christi* (Coloss. 1. 24.) cujus corporis membra sunt singuli fideles: atqui membrum à corpore avulsam vitam et salutem habere non potest. Christus enim *Salvator est corporis ejus*. (Ephes. 5. 23.) sæpissimè etiam Ecclesia in sacris Codicibus appellatur, *domus, templum, civitas, regnum Dei*: atqui extra domum et regnum Dei nemo salvus esse potest; ergo, etc.

2^o. Ex figuris quibus designatur Ecclesia; non rarò enim adumbratur per Arcam Noè: atqui diluvio perierunt quicumque erant extra Arcam; ergo pariter perit quisquis est extra Ecclesiam. *Si potuit*, ait S. Cyprianus, *evadere quisquam, qui extra Arcam Noè fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit*. (Lib. de unitate Ecclesie, Edit. Baluz. p. 195.)

3^o. Ex antiquissimis Patribus: S. Irænæus ait

Dominum judicaturum esse, id est, damnaturum, eos omnes qui sunt extra veritatem, id est, qui sunt extra Ecclesiam. (Lib. 4. adversus Hæreses. cap. 33. Edit. Mass. p. 272.) S. Cyprianus de iis qui extra Ecclesiam degunt, sic habet: neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse, nisi in Ecclesia possit. (Ep. 62. Edit. Baluz. p. 103.) Idem passim docet Augustinus: Salutem, inquit, non potest habere homo nisi in Ecclesia Catholica. (Serm. ad Cæsariensis Ecclesiæ plebem habito, n. 6.) Firmissimè tene, inquit Fulgentius, et nullatenus dubites quemlibet Hæreticum, sive Schismaticum. . . . si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque eleemosinas fecerit, et si pro Christi nomine sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari. (Lib. de fide ad Petrum, cap. 39. n. 80 pag. 530. Edit. Paris. an. 1684.) Ecclesia Africana eamdem tradit doctrinam in Concilio Carthaginensi quarto: inter articulos de quibus ante Ordinationem interrogandus est Episcopus, reperitur iste postremus: Credatne quod extra Ecclesiam nullus salvetur; ergo, etc.

Solvuntur objecta.

Obj. 1º. Tam potest extra Ecclesiam salus obtineri, quàm olim extra Synagogam: atqui extra Synagogam multi olim exiitère justi, de quorum salute nemo ambigit, qualis fuit Job: ergo, etc.

Resp. Neg. maj. et parit. Synagoga enim erat veluti propria Judæorum Ecclesia, extra quam nulla poterat iis salus esse, qui ex semine Abraham erant; sed non fuit Ecclesia universalis, quæ omnes et singulos veri Dei cultores contineret, nec quisquam alienigena ipsius legibus obstringebatur, nisi sponte Circumcisionem accepisset; ergo nihil mirum, si potuerit aliquis extra Synagogam salvus fieri. Ecclesia autem eo consilio instituta est, ut gentes omnes sub uno capite consociaret, ita ut

unum esset ovile, sicut unus est Pastor: ipsa est universalis, et unica omnium hominum magistra, in his quæ ad salutem pertinent; quemadmodum igitur nullus Judæus extra Synagogam salvus esse poterat, ita nunc extra Ecclesiam nemini potest esse salus; hoc tamen eo sensu intelligendum est, quòd ei soli nulla sit speranda salus, qui nec re, nec voto et animi affectu membrum est Ecclesiæ.

Obj. 2º. Neminem Deus excludit è cælo, nisi propter admissum aliquod crimen: atqui multis crimini verti non potest, quod extra veram Ecclesiam fuerint, de qua nihil unquam audire poterunt; ergo non excludentur è Cælo.

Resp. Dist. min. Sed aliud peccatum habuerunt, conc. min. nullum omninò, quod damnationem mereatur, neg. min.

Qui extra Ecclesiam vixère, et nihil de ea audierunt, et quidem sine ulla culpabili negligentia, in damnationem eam ob causam non incurrent, quòd Ecclesiæ nomen suum non dederint; sed propter alia peccata quæ non expiârunt. Nam quemadmodum sola caritas non peccat, ut ait Augustinus; ita nec sine ea peccatum expiari potest, quia caritas operit multitudinem peccatorum, ex Apostolo (1. Pet. 4. 8.) atqui caritas extra Ecclesiam non transfertur; siquidem, ut ait Augustinus, proprium donum est Catholicæ unitatis et pacis, (Lib. 3. de Baptismo, cap. 16.) sicut igitur qui non crediderint, peribunt, sive Christus ipsis annuntiatus fuerit, sive non; ita et qui extra Ecclesiam vixerint, damnabuntur, sive aliquid de ea audierint, sive non; priores quidem propter suam negligentiam, et Ecclesiæ contemptum, aliaque peccata; posteriores verò, sive propter labem originalem, sive propter peccata actualia, quæ non fuerunt expiata; non autem eo quòd Ecclesiam ingressi non fuerint, de qua, citra ullam negligentiam, nihil audierunt.

Se habet enim Ecclesia ut Arca Noè; inter

homines autem qui diluvio perierunt, alii noverant Arcam, frequentesque Noëmi monitus audierant et spreverant. Hi mortem duas ob causas meruere; scilicet tum propter Arcæ, invitantisque, ut ad eam confugerent, Noëmi contemptum; tum propter alia quæ commiserant crimina; alii verò, nec de Arca quidquam audierant, nec audire potuerant, nec terribilem Noëmi prædictionem piosque monitus contempserant, et nihilominus extra Arcam aquis submersi interierunt, quibus hominum crimina Deus ulciscitur: ita planè pereunt omnes, qui extra Ecclesiam sunt; sive illam prorsus ignoraverint, sive eam spreverint cognitam; alii propter peccatum originale et *actuale*, alii propter negligentiam culpabilem, Ecclesiæque contemptum, ceteris peccatis, tum originali, tum *actualibus*, additum.

Inst. Durissimum videtur, denique bonitate indignum, ab æterna salute eos excludere, quibus defuerunt auxilia, quæ præsto sunt in Ecclesia, de qua nihil unquam audierunt, et quidem citra culpabilem negligentiam.

Resp. Neg. ant. Durum non est aliquem excludi ab æterna salute propter peccata sua: porro qui de Ecclesia nihil unquam audierunt, nec audire potuerunt, ab æterna salute non nisi propter peccata sua excluduntur. Scilicet qui in infidelitatis fulgine ab ortu versantur, nihilominus Adam sunt filii et posterì, ideòque lethali morbo et vilitate laborant, quo in æternum deducendi sunt interitum. Summus quidem omnium parens et conditor Deus, potentissimum Medicum, Christum Dominum, è cælo in mundum demisit; verum alios non sanat, quam qui ipsius cognitionem habent et fidem. Infideles igitur qui de Ecclesia et Christo nihil audierunt, per istum à vulneribus suis non liberantur. Is quidem morbum non intulit ipsius Medici ignorantio; at eos in mortali ægitudine relinquit; in caput infidelis iram Dei non inducit.

quod utique præstaret Christi et Ecclesiæ contemptus: at certè iram Dei jam imminenti non avertit. Qui ergo Christum minimè novit, peccati reus, divinæque ultioni obnoxius remanet, sic testante Christo: *Qui credit in filium habet vitam æternam; qui autem incredulus est filio, non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum.* (Joan. 3. 36.)

Obj. 3. Qui in societate segregata nati, Baptismum accepere ante rationis et iudicii usum, iustitiæ participes facti sunt; qui autem iustitiam semel compararunt, ipsam non excidunt, nisi eam sponte projiciant, cum ratione uti cœperint; possunt ergo qui in congregatione schismatica versantur iustitiam retinere, quam, dum parvuli essent, adepti fuerant, ideòque ad salutem æternam pervenire.

Resp. Neg. conseq. Schismaticorum parvuli, cum ratione et iudicio utuntur, acceptam in Baptismate iustitiam amittunt, nisi Deus summam miseratione commotus, eos in Ecclesiæ Catholice communionem transferat, vel ad eam sese adiungendi aliquod desiderium ipsis inspiret. Alioquin pueritiæ limites egressi, suoque iudicio utentes, societati schismaticæ adhærent, veramque rejiciunt Ecclesiam, ac proinde ex eorum numero sunt de quibus ait S. Cyprianus: *Quisquis... adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur;... habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem.* (de unit. Eccl. pag. 195. edit. Baluz. an. 1726.)

Neque ullus datur justæ quærimoniæ locus. Potest enim Deus quos voluerit, et quâ lege voluerit, ad iustitiam salutemque perducere. Porro visum est Deo neminem aut iustitiæ aut salutis fore compotem, 1°. nisi in unum Dei hominumque Mediatorem Christum credat: *non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* (Act. 4. 12.) 2°. Nisi præterea cum Christi corpore, sive Ecclesia, saltem voto, conjunctus sit: *Christus*

quippè caput est Ecclesiæ; ipse salvator corporis ejus.
(Ephes. 5. 23.)

PROPOSITIO III.

Unitas non convenit Protestantium societatibus.

Probatur. 1^o. Unitas sine consensione doctrinæ stare non potest: atqui in eandem doctrinam non consentiunt Protestantes; tùm quia oppositas habent fidei professiones, sic v. g. Lutherani Christum verè in Eucharistia præsentem esse credere se profitentur, Calvinistæ autem contrariam tenent doctrinam; tùm quia varias variis temporibus ediderunt fidei professiones: quanta autem apud eos fuerit hæc inconstantia et instabilitas, egregiè describit illustrissimus Bossuet in sua percelebri Variationum historia: ergo doctrinæ consensionem non habent Protestantes; quinimò nec habere possunt. Pro fidei enim regulâ solam assignant Scripturam, quam proprio quisque judicio interpretatur: atqui fieri non potest, ut inde non prodeat maxima perpetuaque opinionum et dogmatum diversitas et discordia; ergo, etc.

Nec suam in articulis *fundamentalibus* consensionem jactitent *Protestantes*. De reali enim præsentia Christi in Eucharistia plurimùm dissentiunt. Hanc Lutherani admittunt, hanc rejiciunt Calviniani: atqui tamen articulum istum tanquam *fundamentalem* habent *Protestantes*. Nisi quippè res ita esset, cur totiès allegârunt Calviniani hanc præcipuam esse causam, propter quam ab Ecclesia Romana discesserint? cur doctrinam illam toties vocarunt horrendam? cur ob illius dogmatis fidem Catholicos appellârunt *Cyclopas*, *Antropophagos*, *Parricidas*, etc.? cur hujus fidei defensores tanquam idololatriæ reos traduxêre; ergo in articulis etiam *fundamentalibus* discordes sunt Protestantes.

Prob. 2^o. Illi violatæ unitatis meritò accusantur, qui sese ab Ecclesia vera segregârunt: atqui

ita se gessere Protestantes: ab Ecclesia enim Romana recesserunt: atqui tunc erat, ut semper fuit, vera Ecclesia cum qua servanda erat unitas: vel enim tunc Ecclesia Romana vera erat Ecclesia; vel aliqua altera Christianorum societas: atqui tunc nulla erat, quæ de veritate cum Ecclesia Romana posset contendere, vel cum levissimâ specie verisimilitudinis. Prætereà etiamsi Protestantibus concederetur, quod sanè falsum est, non in communione Romana, sed in alia societate, constitutam esse veram Ecclesiam, nihilominus essent Schismatici; siquidem alteri societati non adhæsêre; sed privatam, novamque inchoârunt, ut Calvinus ad Melanthonem scripsit anno 1553: *Postquam discessionem à toto mundo facere coacti sumus, plusquam absurdum est alios ab aliis dissilire.* (Edit. Genev. an. 1617, Tome VI. pag. 145.)

Prob. 3^o. Illæ societates sunt schismaticæ, quarum Pastores nullam habuerunt missionem. Hanc enim necessariam esse ipsimet fatentur adversarii, ut probat Bossuet. (*Hist. des Variat. Tom. I. Sect. 27.*) Illud etiam clamat Scriptura: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* (Hebr. 5. 4.) Idem ratio persuadet; si enim liceat pastoralia munia sibi arrogare, et populum adsciscere, impostoribus omnibus janua patet, viaque omnis tollitur, à veris Pastoribus falsos secernendi; atqui Protestantium Pastores nullam habuêre missionem, sive ordinariam, sive extraordinariam.

1^o. Quidem non ordinariam; à quo enim illam accepissent? an ab Ecclesia Romana? minimè quidem; tùm quia illos anathemate percussit; tùm quia iis tantùm jurisdictionem dare potest, qui in ipsius unitate permanent; tùm quia, juxta Protestantes, vera non erat Ecclesia, nec proinde jurisdictionem tribuere potuit, quam non habuit. An ab alia societate missionem accepêre? Sed nullam aliam Ecclesiam audierunt, ut ab ea mis-